FESTAM
S. IO. BAPT. LUCEM

Magnif. Nobil. Ampliss. & Consultiss.

DOMINO
JOANNI GODOFREDO ROESNERO

INCLYTÆ REIPUBL. THORUNENS. PRÆSIDI ET PRÆ-CONSULI
gravissimo,

Nec non

PROTO-SCHOLARCHÆ
benignissimo,

quum illa A. R. S. M. DCC. XXIV.
feliciter recurreret,
Prosperam & salutarem apprecatur,
tenuique oblato carmine
Omnem animi cultum ac reverentiam
ex merito contestatur

PARNASSUS THORUNENSIS.

THORUNII
Impressit Joh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typogr.

THORNIADES *Musæ, quid gaudia vestra moratur?*
Vel quis veternus barbito silentium
Indixit? num Pinde tibi Permessidos unda
Exaruit, ullæ suppetuntq; in carmina
Non umbræ, non grata quies, non copia mentis?
Gustare laurum tempus est Heliconiam
Ascræo cum vate, Tuique encomia PATRIS,
Quo sospitante ducis ipse spiritum,
Reddere voce pia, ripasque implere canendo.
En læta lux affulget, ac jubet chelyn
Cum suetis iterare modis, ubi Daulias ales
Jam conquievit, nec dabit discrimina
Vocum, nec vario resonabit gutture carmen.
Sed quid retardet, quidve Heliconis aviam
Abripiat mentem, facile est evolvere dictis.
Hinc, triplicata cui paretur infula,
Indagare cupit, quamvis in gente PIAZZA
Stet Purpuratis spes & expectatio;
Huic sacrum diadema ferat clavesque Petrinas;
Hunc læta Roma Præsidem cupiat sibi.
Inde sed AUSTRIACAS *aquilas miratur, ut illæ*
Late revincta Bistonia tyrannide,
Trinacria, tum Parthenope, Ostendaque recepta
Alta quiete perfruantur, ac modum
Regnicolis statuant, turbatosque ordine fastos
Ut temperent, coloniasque in Pannonum
Desolata nimis cupiant transducere regna.
Et jam Triones docta curiositas
Mente subit, quantum emineat RUTHENICA *virtus.*
Et Caspium conjunxerit pelagus suæ
Telluri, moresque feros distinxerit Aulæ
Splendore, per tropæa qui penetraverit
Phasidis auriferum adflumen, Scythicæq; minetur
Lunæ, ambiatque liberare Græciam.
Jam stupet HESPERIUM *regem, & pernoscere tentat,*
Cur Indias Hispaniamque filio

Sponte

Sponte sua cessit, dimisso milite, classe,
Palatio, privatus ipse degere
Exigua magis arce cupit; sed figere damas
Præoptat, ut molestus haut orbi siet.
Quid multa agglomerem? doctarum turba sororum,
Evecta pennis ingenii per nubila
Ad Phoebi currum, auratas contendit adarces:
Scrutatur illic nuperam, quæ contigit,
ECLIPSIN, totumne caput ferrugine Titan
Velarit, ut Parisiis apparuit;
Num, qualem Euganei, Britones, nostrique Borussi
Videre. quandam parte fulserit sui.
Magna hæc sunt fateor: magnum, quod publica fama
Clamat vehitque maximis encomiis
Muneribus regem eximiis mactasse BRITANNUM
Oxoniensis Pieridas Academiæ,
Ut Cantabrigiæ linguas conjuncta doceret,
Quarum usus hocce seculo esse maximus
Noscitur. O nobis Phoenices visere tales
Contingat, aurea fulgeantque secula!
Vistula vel Latium fieret, vel Achaica tellus,
Nonve invideret Atticis facundiam.
Quid tamen externis rebus distringere mentes,
Negligere nata vel domi quid attinet?
Linquite, Thorniades, regales linquite curas:
Non castra vos, non infulæ, aut diademata
Commoveant, non sollicitet novus exul Iberus:
Non Gothiæ ruina, nec Ruthenicæ
Exagitent palmæ, neque mentes sidera pulsent.
Alio calere sole vos pietas jubet,
Et flores alios calathis decerpere plenis,
ROESNERIANA queis revincta gloria
Hac luce emineat, suavesque adspiret odores.
Joannis illa dedicata nomini,
Joannis dives meritis, exorta vicissim,
Depromere vota suadet ac pias preces.

Atque

Atque utinam tota ponatur Maius in ara,
Violis, amarantho, liliis, rosis rubens,
Alcinoique nemus, Pæstana & Hymettia rura:
Quod Nilus & quod Syrus in spicis legit,
Quicquid odorifero volucris Gangetica nido,
Quoties per ignes lætior renascitur;
Quicquid & exsudat croceis Panchaica sylvis
Arabsque nasus quicquid invenit boni:
Hoc utinam Aonides possent adolere, bonumque
PROTOSCHOLARCHAM demereri munere.
Non tamen hos ROESNERE Tibi prætendis honores,
Tutela quamvis Castalidum & constans amor,
Cana fides, animi dotes, pars strenua vitæ
Impensa studiis, Curiæ ac Themidis labor,
Omnia deposcunt quæ summa ac pulcra videntur,
Optas Amari perpetim: hic venit Tibi
Maximus a Musis census, vexilla, Colossi,
Sudoris aut quæ filia deputat sibi.
Iamque adeo nos urget amor, reverentia magni
Urget PARENTIS, sancta vota reddere.
Magne Tonans, qui totus Amor, cui tota voluptas
Salvare, amare, fovere terrigenas sinu:
Annue clementes poscentibus annue vultus,
Nobisque fias Numen exorabile.
Congemina vires: duplicatis mensibus anni
Veniant redeantque: semper axe rideat
Cynthius: æternet viridisque & firma senectus,
Dejecta nullis nec subacta laboribus.
Curia, quæ turres veteres statuasque minatur,
ROESNERIANIS floreat vestigiis.
Sospite ROESNERO sedes sacrata Thaliæ,
DILECTA NATA, candidum efferat caput.
Vistula sic oleo manet, ramentaque volvat
Fulvi metalli: sic vehatur essedo
Gloria PATRONI, fatis cinerique superstes,
Addicit ales regia, adtonat polus.